

introduxit, et coëgit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quærere. Cujus multiplex ratio disputandi, rerumque varietas, et ingenii magnitudo, Platonis memoria et litteris consecrata, plura genera effecit dissentientum philosophorum.

Sen. Epist. 90. Nro. 34—37. Quid sapiens investigaverit, quid in lucem protraxerit, quaeris? Primum rerum naturam, quam non ut cetera animalia oculis secutus est, tardis ad divina. Deinde vitae legem, quam ad universa direxit: nec nosse tantum, sed sequi docuit deos, et accidentia non aliter excipere, quam imperata. Vetuit parere opinionibus falsis, et quanti quidque esset, vera aestimatione perpendit: damnavit mixtas pœnitentiae voluptates. Et bona semper placitura laudavit, et palam fecit, felicissimum esse, cui felicitate opus non est; potentissimum esse, qui se habet in potestate. Non de ea philosophia loquor, quae civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quae virtutem donavit voluptati: sed de illa, quae nullum bonum putat, nisi quod honestum est; quae nec hominis, nec fortunae muneribus deleniri potest; cujus hoc pretium est, non posse pretio capi. Hanc philosophiam fuisse illo rudi seculo, quo adhuc artificia deerant, et ipso usu discebant utilia, non credo. Sicut autem fortunata tempora, quum in medio jacerent beneficia naturae promiscue utenda, antequam avaritia atque luxuria dissociavere mortales, et ad rapinam ex consortio discurrere: non erant illi sapientes viri, etiamsi faciebant facienda sapientibus.

Senec. Epist. 88. Nro. 37 usque ad finem. Audi, quantum mali faciat nimia subtilitas, et quam infesta veritati sit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse, ex aequo; et de hac ipsa, an omnis res in utramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his, quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, ex his, quae videntur, nihil esse, nisi universum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio dejecit: ait, nihil esse.